Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30775206

THESES INAVGVRALES MEDICÆ,
QVAS EX

HIPPOCRATIS
APHORISMO XVII. SECT. II.
DE CIBATIONE RECONVALESCENTIUM,

DEDUCTAS

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

EX DECRETO ET CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

DN. JO. FRIDERICO DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE,
Eminentiſſimi Electoris Moguntini Conſiliario & Archiatro, Anatomiæ, Botanices & Chirurgiæ Profeſſore Publico, Facultatis Medicæ Aſſeſſore Ordinario nec non Civitatis Erfordienſis Senatore,

PATRONO ET PROMOTORE SVO OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV VENERANDO,

PRO GRADU DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS HUIC GRADUI ANNEXIS
IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA
PVBLICÆ ERVDITORVM DISCVSSIONI SVBMITTET

CHRISTOPHORUS WILHELMUS BALDAMUS,
Meizendorffenſi-Magdeburgicus.

DIE XXVI. MAJI, ANNO MDCCXXIV.
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DEO,

PATRIÆ

ET

PATRONIS.

PROŒMIVM.

H*Ippocrates* primus Medicinæ regularis author & auctor tanto in vitæ ſobrietatem ferebatur amore, ut ſuis in *Coa* diſcipulis, primis facultatis medicæ candidatis pro primo artis fundamento diætam inculcaverit, quo poſito firmum ſanitatis ædificium ſtrueretur; quam in rem non ſolùm integrum *de diæta* librum concinnavit, ſed etiam totam ferè *primam & ſecundam ſectionem* meris propemodum *aphorismis diæteticis* adimplevit: voluit nimirum *Cous Senex*, ut auditores ex ſua ſchola ad praxin dimittendi, regulis diæteticis priùs in

ſuccum & ſanguinem quaſi converſis felicio-res curas adornarent. Quæsò quales *Hippo-crates aphorismos* præſcriberet? ſi modo vive-ret, ut modernum gulæ luxum proſcriberet: ſi audiret *Heraclitos* flere, & *Democritos* ridere eos conviviorum apparatus, in quibus ipſa ci-bis menſa gravata crepat, in quibus nox verti-tur in diem, & dies in noctem: nonne illos à funere parùm abeſſe diceret, quos cerneret ad faces & cereos usque ad primam diei luculam convivari; unde Poëta:

Producunt lautas ſera ad funalia cænas,
Et pergunt madidas Baccho concedere noctes,
Certatim potant, & menſis ſurgere nolunt,
Nî ſint exhauſtis viſcera plena Scyphis.

Excandeſceret patiens aliàs *Cous Senex*, ſi in-telligeret, paraſitorum ingenia in excogitandis novis obſoniorum condimentis adhuc dum exerceri, & deſudare, ut Apitiani illi nepotuli, Coquinii, Placentarii, Carpi & Lucones, Lur-cones meliùs dixero, ut hi inquam delicatioris palati genii ad gulæ oblectamenta habeant tri-butaria omnia elementa. Turpe reverà eſt, plus ventriculo ingerere, quàm ille potis eſt

dige-

digerere; turpius adhuc, non noſſe ſui ſtomachi menſuram. Ad quid turritæ in patinis dapes? quam certa ſanitatis labes. Multum, crede mihi, refert, juſtam adornare diætam, tum in ſtatu ſano quam infirmo & reconvaleſcentiæ, de quo regimine diætetico præſertim quo ad cibum & potum mentem ſuam *Hippocrates* clariſſimè aperuit in *Aphoriſmo XVII. Sectionis II.* in hoc veluti in duro cortice dulcis doctrinæ nucleus deliteſcit, quem ut ſuavius deguſtemus, corticem hujus aphoriſmi frangemus, aperiemus, & quid rei in iſtis verbis lateat, demonſtrabimus, quod ut feliciùs in Divini nominis gloriam cedat, primum Medicinæ infuſæ & omnium rerum authorem pro Divina aſſiſtentia devotiſſimè imploramus.

Caput I.

Aphoriſmus decimus ſeptimus ſectionis ſecundæ ſecundum verſionem Heurnii ſic ſonat:

Ubi nutrimentum ultra naturam capitur, morbum facit; argumento eſt & ipſa ſanatio.

Ut in hoc aphoriſmo bimembri & maximâ ex parte diætetico licet etiam ratione recidivæ, aliiusve morbi inde ſecuturi prognoſticus eſſe poſſit, ut inquam in hoc aphoriſmo ritè explicando omnia certo ordine procedant, nunc adducemus in iſto capite primo Aphoriſtæ intentionem, Aphoriſmi diviſionem, ejus connexionem & rationem; in altero capite verborum explanationem; in tertio denique doctrinalem in praxi informationem.

§. I.

APhoriſta agit de cibi immoderatâ ingeſtione; argumentum proinde, contentum, & ſenſus aphoriſſimi eſt, non plus alimenti exhibendum eſſe ſano vel ægro, quam pro moderni ſtatûs circumſtantiis naturæ conveniat: maximè autem vult intelligi & applicari hunc textum aphoriſticum reconvaleſcentibus, qui uti nec quocunque labore corporis & animi poſt morbum exantlatum ſunt fatigandi, ita nec nimiâ ciborum copiâ onerandi. Ponit nimirum metam, in quam oculis inconnivis medicus practicus collimare debet, ſi ſuum patientem ex faucibus mortis ereptum alimentis reficere velit, ut ne quid nimis; verbo cautelam proponit debitæ alimentationis in convaleſcentibus: ut enim nimia ſatietas in talibus

non

non proficit, ſed potius ſanitati officit, ſic pariter nocet, ubi neceſſaria cibatio deficit.

§. II.

Agit hic aphoriſta contra vulgum, qui cum videat ab alimentis reparari vires, ideo credit ad vires multiplicandas alimenta eſſe plurificanda. Quamobrem vix per auras volavit rumor ad aures amicorum, *Niſum* morbi compedibus eſſe ſolutum, ecce tibi! *Eurialus Niſi* amicus & alter ipſe integrum corbem variis cupediis infartum mittit ſuo *Niſo*, ut qui jam jam dicebatur defunctus, ſed modò morbo bene functus ſemimortuas ſuæ vitæ reliquias reſtaurare queat. Imo reconvalescenti aſſidentes patientis amici & amicæ, ſingulis fere momentis cibos etiam quandoque difficilioris digeſtionis obtrudunt, ut illos infarciant dicendo: aliquid guſtui dandum, quod ſapit, nutrit. Der gute Menſch hat genung gefaſt/ er muß ſich wiederumb durch Eſſen und Trincken erhohlen/ die Kräffte kommen von den Speiſen/ viel hilfft viel. Errant hi vel maximè, bona eſt & prompta voluntas, optima intentio, ſed peſſimus finis erit, plenior iſte cibus ſemper ſolet eſſe nocivus, vires reſiduas obruet, & obruendo ſuffocabit, pro novo morbo materiam ſuppeditabit. Oggeri illis in vernacula lingva poteſt memoratus aphoriſmus. Wann mann die Natur mit zu viel Speiſ überladen hat/ ſolches macht Kranckheiten/ das weiſet auch die cur aus.

§. III.

Aphoriſmus dividitur in duas partes, in primâ ſuam intentionem exponit his verbis: *Ubi nutrimen-*

tum

tum ultra naturam capitur, morbum facit, in altera ſuæ intentionis cauſam adducit prudentisſimus Aphoriſta ſcilicet: *argumento eſt & ipſa ſanatio*, quæ eſt probatio à poſteriori ab effectu & eventu, qui hic non eſt fortunæ filius, uti apud empiricos, ſed veri conſilii ſoboles. *Hippocrates* breviſſimæ ſuæ ſententiæ grave pondus rationis addit: nil ſine cauſa & ratione ponit in longiſſima experientia fundatus totius Græciæ Archiater *Hippocrates.*

§. IV.

Hic aphoriſmus eſt quaſi germen præcedentis ita ſonantis: *corpore inediâ confecto non laborandum:* ibi damnat labores faciendos cum fame, ſive labores ſint naturales ſive artificiales & medicinales, æger quieſcat, Medicusque quiescat. In hoc etiam damnat labores cum nimia cibi repletione; minimè laborandum, ubi corpora famescunt, ne afflictio addatur afflicto, & labor labori; ſatis corpus laboravit, quod morbus cruciavit: procul eſte labores; quod caret alternâ requie, durabile non eſt, amodò corpus requiescat à laboribus ſuis. Viſcera emaciata fame debitè & methodicè ſunt reficienda. In priori aphoriſmo docuit, in famè fugiendum eſſe laborem, & cum ipſius famis præſidium & remedium ſit alimentum, in hoc ſancire voluit *dictator Cous*, cibum quidem eſſe ſumendum, ſed additâ hac cautelâ, ne quid nimis, & nec ultra vires: ubi per totum morbi decurſum nulla fuit requies, & otia nulla fuêre, malè tunc conteret oſſa labor, quæ ſatis à morbo contrita fuerunt.

§. V.

Fames duplex, ſed utraque moleſta eſt: una coacta violenta & neceſſaria ob ciborum inopiam, penuriam, & annonæ caritatem, ubi imperioſa neceſſitas durum telum eſt, ubi fames importunus monitor homines famelicos inedia confectos eousque ſtimulat, ut non pudeat ipſas manibus evellere herbas, duros deglubere cortices, denudare arbores, ut talium rerum uſu & eſu miſerrimas vitæ reliquias utcunque ſuſtentent, latrantis ventriculi os obturent, vel potius mortem in paucos tantum dies ægerrimè differant. Altera voluntaria & arbitraria eſt, ubi citra omnem rerum comeſtibilium penuriam ad liberam corporis macerationem & caſtigationem, vel ad ſanitatem conſervandam vel reparandam, aliamve ob cauſam ex libera hominis voluntate aſſumitur, vel juſſu Medici injungitur, iſta fames merito abſtinentia dici poteſt.

§. VI.

Utraque fames involuntaria & voluntaria potis eſt affligere corpus, varioſque inducere morbos, ſi exceſſiva repletio ſuccedat exceſſivæ exinanitioni: in coacta enim fame cibus præter naturam ingeſtus, à debili tono corrugati ventriculi non poteſt digeri, & indigeſtus anxietates, ventriculi diſtenſiones, inteſtinorum inflationes & murmura cauſat, quod tam diu fuerint jejuna relicta, & alios ſine fine morbos poſt ſe relinquit. In arbitraria etiam, ſi cibus non ſit omninò præter naturam, ſed tantum plus juſto & debito ingeſtus morbos facit, quia in fame, quæ ad ex-

tremum vacuationis deducta eſt, extrema refectio eſt periculoſa.

§. VII.

Etiam connecti poſſe videtur ſecundum *Galenum cum aphoriſ. IV. Sect. II.* qui ſic habet: *neque ſatietas, neque nimia cibi abſtinentia, neque aliud quippiam ſalutare, quod ſupra naturam fuerit:* in quo univerſaliter & generaliter determinavit *Hippocrates*, quòd non ſatietas, non fames, nec aliud quicquam, quod naturæ modum ſuperat, bonum: in hoc autem ſpecialiter allegat ſolam ſatietatem. reſpicere ergo videtur ad *aph. IV.* remotè ſed proximè ad præcedentem, docens: in ſatietate non minùs ac fortè etiam plus periculi ineſſe, quam in fame, idque non tantùm in convaleſcentium ſed & ſanorum corporibus: quanquam convaleſcenti non imperandus labor, niſi cibo priùs reficiatur, non plus tamen, quàm corpori ſumentis convenit, exhibendum. item in *Aph. IV.* agit de exceſſu ſuper modum ſeu ſupra mediocritatem, hic autem præter naturam: poteſt autem dari exceſſus præter modum ſeu ſupra mediocritatem, qui non ſit præter naturam.

§. VIII.

Quo ad rationem aphoriſmi; ubi præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt, quid proclivius eſt cogitatu, quam morbos inde creari; quid etenim clarius, quid certius eſſe poteſt! quam talem cibum juſto copioſiorem non eſſe tantùm nullum alimentum, ſed potius detrimentum, & noviter recrudeſcentis morbi fundamentum: vix ſuſtulit æger grabatum ſuum, vix pyxides pharmaceuticæ fuerunt evacuatæ,

vitra

vitra eviſcerata, ampullæ medicamentorum exinanitæ, vix Morbona ſua carbaſa contraxit, nova cogitur expandere vela, ut velificetur inordinatæ repletioni. Tonus ventriculi nec dum ita rurſus vigoratus eſt, ut tantam ciborum copiam ſuis viribus ſubigere, & in bonum chylum convertere poſſit; nec calor naturalis moderatus & proportionatus partium ſolidarum circumjacentium ex prægreſſa infirmitate tanti roboris eſt, ut ſuo adjutorio digerenti ventriculo poſſit ſuccurrere. Omne nimium naturæ inimicum, & morborum ſeminarium; nimiâ olei affluentiâ lampadis vita ſuffocatur, cataclyſmo inundantur campi, frugiferi tumulantur agri; nimia ciborum ingurgitatio tum ſupra vaſorum capacitatem, tum ſupra naturæ vires vitioſa eſt: juſta mediocritas & conveniens proportio ſit inter agens & patiens, inter cibos ſubigendos & naturam per ſua inſtrumenta ſubigentem: medio tutiſſimus ibis, medium tenuêre beati.

§. IX.

Si itaque quis ſuperato morbo audeat ingerere cibum, qui naturam ſuperat, is vitæ & ſanitatis ſuæ inimicus erit. *Oribaſius* ait: *unicuique tantum offer, quantum concoquere ſufficiat, ſi verò plus ingeritur, morbos generat.* Ratio quoque hæc dari poteſt à priori: virtus digeſtiva non eſt infinita ſed finita, certisque limitibus circumſcripta: inprimis quoad ſpeciem, unde homines non poſſunt talia eſculenta motu digeſtorio convertere in ſuum nutrimentum, qualia cætera & majora animalia; deinde etiam limitata eſt quo ad

indi-

individuum, ita quidem, ut quod ultra hanc virtutem digeſtoriam ingeritur, non nutriat, ſed velut onus grave & morboſum proxima pro variis jactabit ſtamina morbis.

Ex hiſce velut ſonte uberrimo fluunt hæ theſes.

Ima Reconvaleſcens cibis reficiendus, ſed ſervato tempore, certo ordine, & cuivis individuo proportionatâ menſurâ.

2da Qualis cibandi ægros proportio in principio morbi, talis ferè erit in declinatione cæteris paribus.

3tia uti Declinatione abſolutâ reconvaleſcens indies magis & magis ad amiſſæ ſanitatis ſtatum regreditur, ita de die in diem cibatio augenda eſt, donec ad ordinariam vitæ prioris diætam devenerit: & quidem à juſculis incipiendo, deinde ad ſolidiora progrediendo: *nam facilius eſt refici potu quam cibo aph. XI. Sect. II.* hoc eſt alimento fluido quam ſolido, uti etiam inchoando ab alimentis boni ſucci, qui facilè poſſunt digeri & citius partibus aſſimilari, ut ſunt ova, ab his aſcendendo ad carnes juniorum altilium & animalium.

4ta plures poſt longam inediam exhauſti & viribus fracti, cibo copioſiori ſimul & ſemel ingeſto, non ſolùm morbum, ſed ſubitaneam mortem ſibi contraxerunt, quod factum tempore famis, teſtes ſunt plurimi authores.

5ta ſi quæ medicamenta morbo ſuperato præſcribenda ſunt, erunt illa tonica ſtomachica leniora, quibus nonnihil appetitus acuatur, & tonus roboretur.

Cap. II.

Verbalis Aphoriſmi memorati explicatio.

§. I.

SIve per terminum *Ubi* locus ſignificetur, in quo fit repletio ſive tempus indigitetur, ſi exceſſus ſuper naturam perpetretur, morbos utrumque parere poteſt.

Cibus

Cibus importunus, inſuetus, improportionatus, crudus, & nec debito ordine, nec conveniente modo aſſumptus non duntaxat convaleſcentibus, de quibus hic maximè ſermo, ſed quoque ſanis periculoſus & noxius eſſe ſolet.

§. II.

Ubi neceſſarius exulat ordo, ibi mera confuſio: ordo ſit regula vitæ, ſit norma rerum, ſit gnome agendorum; hinc cibandi ordo dividitur in jentaculum, prandium, merendam & cænam, ita quidem ut intermedio tempore nihil ſumatur, ſed dictis temporibus aſſumptum ventriculo benè digerenti relinquatur, ut bona chylificatio ſubſequatur: omnia tempus habent & ordinem, eſt tempus edendi, eſt tempus quieſcendi; ventriculo debet dari & concedi mora, non verò digeſtioni ſtrui remora: infunde continuo coquenti cacabo, vel igni appoſito lebeti aquam, nunquam caro fiet matura, ingere continuo & ſine ordine ac tempore ſervato cibos ventriculo, nunquam cum corporis emolumento ſeu debito nutrimento digeſtionis negotium abſolvet.

§. III.

Sunt aliqui interpretes, qui per ly *ubi* intelligunt particulam *ſi* quaſi conditionem ſine qua non; ac ſi vellent dicere: ſi reconvaleſcens in priorem aliumve morbum patiatur recidivam, novo affligatur affectu, ex nullo alio fonte fluet novus ille relapſus, quam ex illa conditione *niſi* exceſſiſſet, niſi cibos ultra menſuram & naturam aſſumſiſſet, non in ægram valetudinem reincidiſſet; ſi niſi non eſſet, tunc ſanus quilibet

 eſſet:

eſſet: ſed quia pauci ſunt viſi, qui caruêre niſi, ideo tam frequentes obſervatæ ſunt recidivæ. Qui finem vult ſanitatem, & media ad finem velit neceſſe eſt, hæc verò ſunt, veræ cautelæ in cibando reconvaleſcente benè & debitè obſervandæ.

§. IV.

Per nutrimentum intelliguntur cibi & alimenta; his enim nutrimur & creſcimus, dixi nutrimur, nam non omnes, qui nutriuntur, creſcunt, ſenes nutriuntur, ſed minimè creſcunt, hoc eſt, non extenduntur ſecundum omnes dimenſiones in longum, latum & profundum. Nutrimenta alia ſunt languentis appetitûs irritamenta, qualia ſunt condimenta & alimentoſa medicamenta v. g. aromata cinnamomum, piper, cardamomum & cortices felicioris Indiæ, aliaq; ſtomachica ſimplicia & compoſita. Alia ſunt latrantis & eſurientis ſtomachi blandimenta & fomenta, queis exequentis ventriculi fermenta ſatiantur, & in quæ, ut illa agant, objiciuntur. Alia ſunt guſtûs oblectamenta, variaque luxuriantis ventriculi portenta, quibus ad libidinem usque onerantur menſæ. Hic autem intelliguntur alimenta ordinaria ad neceſſariam nutritionem à natura deſtinata, ſed ultra naturam ingeſta.

§. V.

Ultra naturam vel præter naturam tunc cibus dicitur ingeſtus, quando ultra modum & necesſitatem nutritivam rerum, & poſſibilem concoctionem, ſeu ſupra vires naturales digeſtionis, ultra naturæ exigentiam: ſic enim ultra modum natura gravatur: ſit modus in rebus, ſint certi denique fines, ultra quos ven-

ventriculus alimentis non eſt extendendus; non plus ultra debitam vaſorum repletionem oneretur ſtomachus: hic natura poteſt ſumi & explicari pro temperie, conſtitutione, vel etiam pro principio vitali.

§. VI.

Cibus præter naturam talis eſt vel quantitate vel qualitate: quantitate excedit dupliciter, vel continuâ vel diſcretâ, de quantitate continuâ ſeu molis ſcripſit *Hippocrates libro de affectionibus: cibos etiam temperatos & naturæ familiares, ſi quis illis vel intempeſtivis vel pluribus utatur quam tempeſtivum eſt, morbos gignere & ex morbis mortes:* de quantitate diſcreta etiam memoravit: *obſonia variis intritis præparata, quia diverſas inter ſe vires habent, æſtuoſa eſſe & noxia.* Qualitate excedere poteſt, ſi cibus ſit ſalſus, acidus, amarus, acris &c.

§. VII.

Morbum facit, hoc eſt morbum repletionis, & hæc repletio nimia, atque ultra naturæ vires ſe extendens cauſa remota & antecedens eſt ſtatûs præternaturalis, in quo ſe- & excretiones hamantur, actiones vitales & animales hebetantur: Ex tali repletione nimiâ quid aliud ſequi neceſſe eſt; quam indigeſtionem, quam magma irreſolutum, quàm fomitem novi & longè periculoſioris morbi: talis hominis ita reconvalescentis erunt noviſſima peiora prioribus. Talis repletio eſt ad indiſpoſitonem corporis humani proxima diſpoſitio.

§. VIII.

Nam loco laudabilis chyli ex defectu debitæ digeſtio-

geſtionis orietur cacochymia, ex cacochymia cacochylia, ex cacochylia reſultabit materia cruda, putida & putrida; verbo indigeſta, quæ cum ſangvine circulante variis corporis humoribus admiscetur, hi inde corrumpuntur, pituitâ inviscantur, partibus advehuntur, & viſcera ad obſtructiones hinc inde parandas invitantur, ſtaſes & congeſtiones accumulantur, ex quibus varii morbi pro varietate & conditione corrupti humoris atque pro diverſitate partis affectæ fabricantur. Unde enim inflammationes, inflationes hepatis atqui lienis, febres, aſthmata, catarrhi, inteſtinalium tuborum diſtenſiones, diaphragmatis oppresſiones, & interturbatum reſpirationis negotium, hydropes, tympaniæ & integra lerna malorum? quam ex chyli malè ex alimentis eliquati cruditate, & ex illius pediſſequis factis obſtructionibus: vides qualis pullus ex putrido generetur ovo; uti plures morbos præſertim febriles cicurat inedia, & curat abſtinentia, ita novos procurat ingeſta ciborum abundantia, juxta illud, abſtine, & efficies, quod medicina nequit.

§. IX.

Imo hæc turpis indigeſtaque maſſa ſæpius ſtagnando, & ita in motu circulatorio impedita acquirit acrimoniam, quâ ſtimulabit inteſtina, aliosque ductus & canales arrodet, excitabit tormina ventris, irritabit & incitabit diarrhæam, aliosque fluxus lientericos & cœliacos non absque teneſmis hunc motum excretorium concomitantibus. Vides, quam gravis calamitas toti machinæ corporis humani à tergo immineat, ubi ultra naturam largior præceſſit cibatio.

Et

Et quid ſi novus, ut certò fiet, ſequatur morbus? ille revera, ſi non fatalis, ſaltem periculoſior morbo ſuperato erit; vix enim natura jam priori morbo defatigata & exhauſta tantas vires recolliget, ut ſufficienti reſiſtentiâ ſub omnium viſcerum atoniâ novo ſe poſſit opponere morbo, vel gliscentem ſub cinere morbi fomitem ſupprimere.

§. X.

Aſt ponamus, ventriculum omnes nervos alacriter intendiſſe, & tantam ciborum copiam feliciter ſuperâſſe, quid inde ſequetur? niſi major quàm natura requirit, humorum copia, & conſequenter polychylia vel plethora quo ad vaſa & quo ad vires, quæ ad novos morbos iterum reproducendos concurrent, pro novo igne morboso oleum affundent. Revera hic illud verificatur: *plures occidit gula, quam gladius*; Plures polyphagiæ dediti ex vinaria taberna deſcenderunt ad inferna. *Diogenes* dixit: *ubi frumentorum copia, ibi mures, ubi alimentorum ſuperabundantia, ibi morbi.* ex nimia ciborum quantitate generatur vel plethora in robuſtis, vel cacochymia in debilibus. Uti oneraria navis, quæ ſupra ſuam magnitudinem & capacitatem vehenda capit, oneris magnitudine gravata â nimiis ſubmergitur undis, ita ab ingurgitatione ac nimiâ ſatietate ciborum gignuntur in corpore morbi: ex nimio victu naufraga vita perit. Politicus, qui plura, quam ferre poteſt in ſe ſuſcipit negotia, illi multa negotia manebunt cruda & indigeſta.

§. XI.

Plethora ſeu *repletio ad vires* eſt, quando plus

adeſt ſangvinis, quam vires ferre poſſint: *ad vaſa* autem eſt redundantia ſolius ſangvinis, vel etiam reliquorum humorum ſangvini commixtorum, ut vix vaſa illam ſine periculo rupturæ continere queant: in repletione ad vaſa usque, ſæpe rumpuntur venæ ob cavitatem exiguam & teneram ſtructuram, quod patet in hæmoptyſi, vomituque cruento &c. Sed cur non rumpitur ventriculus à nimia repletione, ut venæ & vaſa lymphatica v. g. in hydrope; reſponſio eſt facilis, quia ventriculi cavitas eſt amplior & dilatabilior, tunicisque firmioribus ille inveſtitus eſt; item cibus in ſtomacho adhuc crudior, & non tam ſpirituoſus & elaſticus, quam ſangvis.

§. XII.

Quo ad ſigna dignoſcitur repletio ſeu plenitudo in ventriculo ex ructu, nauſea, oſcitatione, flatibus, gravitate, ſegnitie, ſomnolentiâ, ventris torminibus, capitis dolore, vertigine. Signa plenitudinis in venis, ſunt earum diſtenſio & tumor rubor cephalalgia tuſſes, narium aliæque hæmorrhagiæ: ſigna plenitudinis in musculis & habitu corporis eruuntur ex laſſitudine, motu læſo & laſſo, dolore artuum gravativo, pandiculatione &c.

§. XIII.

Argumento eſt & ipſa ſanatio. Hippocrates probat hic ſuam hypotheſin per argumentum à poſteriori & à juvantibus deſumptum, dum ait: ſanatio monſtrat, ſeu ſublatio morbi declarat cauſam materialem morbi: canon medicus eſt, *contraria curantur contrariis*: ſi ergo ſanatio fiat, & ſequatur ad ſenſibilem quan-

dam

dam evacuationem ſive per alvum, ſive per apertam venam vel alium depletionis modum, benè concludimus cauſam morbificam fuiſſe repletionem nimiam & exceſſivam: tunc plethoram morbi cauſam præ extitiſſe deprehendimus, ſi ægrotans per phlebotamiam fuerit curatus, ſi verò medicamentorum ope fuerit reſanatus, tunc cacochymiam peccâſſe, decidimus.

§. XII.

Secundô, cùm ſanatio fiat adjectione vel ablatione, erunt utique morbi, in quibus conveniet ablatio ejus, quod ſuperfluum eſt, illa autem non convenit, niſi ubi eſt repletio, & hæc minimè eſſe poteſt, niſi à ciborum copia, nil ſiquidem aliud replet, quàm cibus. Si autem ſcire velis quomodo ablatio fiat, illa variis modis inſtituetur; vel enim vomitu, hic convenit in caſu, ubi cibus offendit in ventriculo primo ciborum diverſorio & receptaculo: ſic ſæpe ipſa natura exceſſivam alimentorum & potulentorum copiam utpote ſibi noxiam ſponte ſuâ ſine medicamentis eructat & evomit in crapula. Vel fit dejectione per alvum, quando ſuppetit materia in inteſtinis: vel phlebotomia in caſu plethoræ ſeu ſanguinis abundantioris in venis magnis: vel ſcarificatione, ſi ſanguis abundet in venis ultimis circa corporis ambitum: ſic & ſudore, corporis exercitio, denique & inedia in abundantia à nimio cibo: inedia quidem non per ſe & poſitivè evacuat, ut alia, ſed negativè & ſubtractivè, detrahendo illud, quod repletionem ſeu plenitudinem cauſare poteſt. Ubi nimia eſt repletio, ibi in cura ſit depletio.

Ex dictis de plenitudine redundant hæ poſitiones medicæ.

Ima. Quantitas in cibando tam curatoriè quam præſervatoriè ubique medico, ægro, & adſtantibus benè ponderanda eſt, non tamen tam ſcrupulosè, ut ad ſcrupulos, drachmas vel uncias velim illam eſſe expendendam; tales enim ſub leviſſimo etiam exceſſu graviter laborant.

2da. Quo ad qualitatem præmittenda ſunt digerenti ventriculo reconvaleſcentis eupepta, quæ facilem ſine magno labore ventriculi adhuc dum debilis ſubeunt digeſtionem & concoctionem, duriora & dyspepta omnino exeſſe debent.

3tia. Sanitati conducibilius eſſe videtur, ex aliquibus cibis benè ſapidis compeſcere appetitum, quàm ex innumera ciborum farragine aliquid hinc inde decerpere, & guſtui blandiri; quò quid magis homogeneum & unius ferè naturæ, eò citius & melius aſſimilatur partibus, quàm ubi tot heterogeneæ embammatum & juſculorum variegatorum particulæ chaos faciunt, ubi tam variæ cupediarum moleculæ ſalſæ & amaræ, dulces & acidæ, ſapidæ & inſipidæ, viſcidæ & lubricæ &c. prius debent in ſe agere & reagere, talique actionum tumultui auſcultari ventriculus, donec ille hanc litem componat, & ultimam ſubactionis manum imponat.

4ta. Veterum ſententia optimè his diebus defendi poteſt, qui ſtatuebant hanc medicinæ definitionem: medicenda eſt ars, quæ conſiſtit in additione & ablatione.

5ta. Medicina prima orta eſt ab experientia; à juvantibus enim medicamentorum vires ex primis quaſi ruderibus erutæ fuerunt; ſed temporis ſucceſſu ipſa etiam ratio nobilitavit experientiam, quæ non modò ab eventu & effectu virtutes rerum medicamentoſas dignoſcit, ſed

ſed etiam docet, cur hoc medicamentum præ alio has vires exerat. Ratio & experientia ſunt firmiſſima fulcra, quibus innititur univerſa medicina.

Cap. III.

Aphoriſtica informatio & ad praxin applicatio.

§. I.

ERgo quo ad doctrinam & cautelam aphoriſticam in cibis ſano vel ægro exhibendis non eſt excedendum in quantitate, nec in qualitate, nec in ordine: ad naturam tamen illius, cui exhibetur, eſt reſpectus habendus. Delicatæ teneræque naturæ ſubjecta minus ferunt, plus robuſtæ & athleticæ naturæ; illis juſcula, panatellæ, ſucculenta, varii liquores, verbo leviſſimæ digeſtionis alimenta ſatisfaciunt, non his, qui fortius quid & ſubſtantioſius deſiderant; his orificium latrantis ventriculi non obſtruitur exiguis bolis, ſed grandiores addere neceſſe eſt: triſtis ſenſatio in ſuperiori apertura ventriculi, ubi fames inchoativè eſt, ab irritante & ſtimulante inedia & vacuitate non compeſcitur levioribus cibis, eorum anima nauſeat ſuper cibo leviſſimo. Sic Aulicis aliisque magnatum proceribus, qui paſcuntur deliciis, nutriuntur cupediis, mollioribus utuntur cibariis, ſatisfaciunt gelatinæ, ſorbitiones, embammata, & variorum colorum jura; ſed meſſoribus, foſſoribus, aliisque graviorum laborum ſociis placent magnæ ſcutellæ ci-

 bis

bis turritæ, oleribus & carnibus pyramidatæ, & multo lardo impingvatæ, quas, ut ajunt trinodo tranſilire poſſunt: his quadra non quadrat, nî bene farcta cibis.

§. II.

Etiam conſuetudini, quæ eſt altera natura, quid concedendum eſt; alias ſuper & contra conſuetudinem agere, eſſet idem, ac ſuper & contra naturam aliquid efficere: bonæ conſuetudini convenienter vivere, eſt longævam vitam ducere; ſi conſueviſti veſperi quid aſſumere, aſſume, & tibi proficiat: ſi verò veſperi didiciſti ab omni cibo abſtinere, abſtine, & benè de nocte quieſces, atque ſequenti aurorâ, quæ Muſis amica, nullisque laboribus inimica, ad tuos labores, quicunque demum illi erunt, ſurges alacriùs, laborabis promptiùs, finemque laboris aſſequêris feliciùs. Si ſit tua portio vini una menſura, quâ per ſingulos dies ſtomachi debilitatem reſtauras, ebibe Timothee, & tibi conducat, quia conſuetudo eſt altera natura; ſi verò id, quod vina ſolent, cereviſia præſtet, in plenis cyathis etiam cereviſia ſpumet, & proſit: conſuetudo eſt altera natura, contra hanc in cibo & potu peccare & quidem ſimul & ſemel ſine prævia ſubtractione vel additione ſucceſſiva, eſt contra naturam pugnare.

§. III.

Nec generalis regula hic dari poteſt ratione patriæ & nationis: ita Galli, Itali, & Hiſpani minus edunt, quàm Germani; hinc nata & nota illa ludicra hiſtoria: Germanus ſerviebat longo tempore Offi-

ciali

ciali Germano, qui conſuevit ſuo famulo largam portionem dare dicendo germanicè do; deſerens autem ille Germanus ſuum Officialem, Gallo ſua ſervitia detulit, qui Germano famulo in prandium dedit in orbiculo multum juris parum carnis dicendo gallicè, *tenés*, cui tam parcum cibum exoſus & indignabundus Germanus repoſuit, plus valet atque placet mihi unum do quam decem *tenés*. Sic natio præ natione aliter tractanda, aliter cibanda eſt.

§. IV.

Aëri etiam hic velificandum eſt ratione cibationis; tendunt pro variis nautæ ſua carbaſa ventis, ſic pariter Medicus prudens alimenta miniſtret, pro ut varius diſcernitur aëris uſus. Ut aër præſtantior, certisque morbis utilior vel nocentior, ita unus aër præ altero magis conſumit corporis vires; hinc dicitur: die Lufft zehrt; aër aliàs occultus vitæ cibus eſt, ſed aliquando virium fur eſt, vitæque venenum. Quod facilè illi confirmabunt, quibus vita hucusque peregrinatio fuit ſuper terram, obſervarunt ipſi propria experientia, quòd in uno præ alio loco aëris moleculæ corpori per reſpirationem communicatæ, citiùs cibos conſumpſerint, novum appetitum ob admixtas particulas nitroſo-æthereas acuerint. Imo & aqua conſumit, quod teſtantur nautæ, quique vehuntur aquis, ita quidem, ut per totum ferè diem jentent, prandeant & cænent: his proinde parcam, vel talem præſcribere velle diætam, qualem iis, qui in impingvante aëre degunt, eſſet illos neceſſariis alimentis & debitâ nutritione defraudare.

§. V.

§. V.

Quid quod etiam potulenta ciborum menſuram determinent; nonne lippis & tonſoribus notum eſt? vinoſos liquores plus conſumere, quam cereviſiarios: ſic in Thuringia & Saxonia, ubi cereviſiæ ſtentoreâ voce totâ die promulgantur & proclamantur, ſed vix una vel altera hedera opus vino vendibili, ubi plures Zythopotæ quam œnopotæ, ibi homines ſunt magis ſucculenti verbo pingviores, quam illi, qui ad tractum Rhenanum dulci delectantur Maſſico, utuntur copioſo potu vinoſo, qui ordinariè magis macilenti ſunt; vinum ob particulas acido volatili imprægnatas impedit, quo minus particulæ nutritiæ incuneentur & aſſimilentur partibus, quas ſubtili calore emaciat. Hinc eſt, quod vinibibulis major ciborum portio concedenda, quam cereviſiæ potatoribus, qui ex ſuo potu cereviſiario pinveſcunt, adeoque magis quàm alii abſtinere poſſunt.

§. VI.

Non minùs etiam ætas & conſtitutio in ordinandis cibis eſt reſpicienda; primum quod attinet, pueri ſunt magis voraces quam infantes & ſenes, qui ſæpius ſed parcius ſunt cibandi ob debiliora organa digeſtionis: alterum quod concernit, cibi ingerendi quantitas menſuranda eſt à peculiari cujusvis individui conſtitutione, propria unius cujusque temperies ſit certa cibationis decempeda: unus præ altero pro copia majoris nativi caloris plures cibos concoquit, hat einen hitzigen Magen: ſic Athletæ athleticè & pancraticè vivunt, græcantur & pergræcantur, & non ægro-

ægrotant ob naturæ bonitatem, multus cibus non eſt præter eorum naturam, imo potius illorum natura expoſcit multum cibum. Quantitas ciborum uni indebita & excedens videtur, alteri erit naturalis, neceſſaria & proportionata.

§. VII.

Quo ad ſexurn, indubitatum eſt, ſexum ſequiorem à potiori vel maximè diſtingvi, quod in illo natura paucis contenta ſit; ubi maribus magnæ ſcutellæ vix ſufficiunt, ibi fœminis ſatis eſt orbiculus, rariſſimè peccant in quantitate, ſed plurimum in qualitate ob inordinatum appetitum. Nec tempora anni in determinatione ad quantitatem ciborum ſunt negligenda: Univerſaliter loquendo plus editur in hyeme ob antiperiſtaſin, quæ calorem naturalem in ventriculo concentrat, quam in æſtate, ubi major ventriculi debilitas. Sic anni tempus plures determinat eſcas.

§. VIII.

Porro in diæta particulariter præſcribenda probè attendendum eſt ad vitæ genus, ſeu modum vivendi ejus, cui talis præſcripta diæta eſt applicanda, ars enim noſtra ſalubris in praxi agit circa individua, quæ cum quo ad vitæ genus diverſa ſint, etiam diverſa diæta eſt adornanda; ſic longe pluribus eſcis indiget, qui manuali operi ſuam inpendit operam ad ſudorem usque, quam qui intra domeſticos parietes levia tractat negotia: Plus certè ille vorat, qui cum fervore laborat, quam ille, qui cubili incluſus ruſpatur cum Philoſophis naturæ myſteria, cum Aſtrologis ſpeculatur cælorum ſidera, ſolis & lunæ itinera, vel

cum Galenicis ſcrutatur ſpecifica morborum antidota: Plus revera comedit ille, qui agit Mercurium ſeu tabellarium, quam is, quem vides domi ſedentarium, qui in otio & quiete ſuæ cuticulæ curam gerit. Non quivis cuivis calceus aptus erit, ita nec cuivis idem cibandi modus quadrabit, quadratus empiricus eſt, qui in ſanis & ægris atque reconvalescentibus non admittit diſtinctionem realem; econtra prudens Medicus eſt, qui præter diſcrimina rerum etiam discernit perſonas: ſi ullibi reſpectus humanus locum habet, certè hic habebit, ubi de tractandis reconvalescentibus tractatur: culinæ focus quandoque altius accendendus, dum nimis pro quibusdam friget, ſed ligna ſubtrahenda foco, qui ſubinde nimis ardet. Judicio & diſcretione prudentis medici hic opus eſt.

§. IX.

Sed quid dicendum de parvis exceſſibus? modicum non curat Prætor: cui opponendum, â parvis & exiguis exceſſibus ſed ſæpe repetitis etiam fieri plenitudinem; teſte enim *Hippocrate libro de diæta morbus paulatim fit, ſed repentinè invadit*: parvus exceſſus parum lædit, major morbum gignit, & pro ut vel major vel minor eſt, facit morbum majorem vel minorem: parvi exceſſus etiam ex hoc capite nocent, quia minùs metuuntur, opinione majoris ſecuritatis crebriùs repetuntur, ſed ſæpius repetiti nocent vel maximè.

Theſes ex ſuperioribus extractæ

Ima. Non tantum malus cibus morbum facit, ſed & multus, malus eſt, qui præter naturam, ſicuti bonus,

qui

qui ſecundum naturam: multus enim cibus etſi non ſit malus, & malus etſi non ſit multus, poteſt morbum parere; licet quidam velint cibos non nocere qualitate niſi etiam quantitate ſimul conjuncta: ſed nonne ignis ſuo calore per ſe urit, etſi absque notabili quantitate? nonne cibus venenatus absque magna quantitate, ſolâ tantum qualitate occidit?

2da. Evitandæ ſunt nimiæ ſatietates, quia ex illis morbi fiunt in plenitudine; ad primas ſanitatis partes pertinet, non ſatiari cibis.

3tia. Si quis ex cruditate nimii cibi laboret, unicum refugium eſt, ſtatim devenire ad illius evacuationem, niſi ipſam tentet natura, cujus ductum ſequatur Medicus naturæ miniſter.

4ta. Quos morbos repletio generat, inedia ſanat, plenitudo poſcit inanitionem: contraria curantur contrariis.

5ta. Qui parum & cum temperantia edit, multum edit, ſicut qui multum bibit, parum bibit; ſtrenui enim potatores, & ciborum heluones, qui ſuo genio ultra naturam indulgent, appetitus inordinatos frœno non cöercent, interim fatis cedunt, moriuntur, tu interea ſub regula diætetica ulterius vivens, pergis bibere & comedere: illis jam dudum ſunt decantatæ exequiæ, tibi verò vino plenæ apponentur hydriæ: illi ob exceſſivam voracitatem pergunt putreſcere, tu autem propter moderatam in cibis temperantiam pergis vireſcere. Generaliter ergo, & à potiori licet concludere

Parcito ſæpe cibis, & ſic annoſior ibis,
Sanior eſſe potes, ſi cum moderamine potes.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

UTi ſine via ad finem viæ non pervenitur, ſic ſine medicamentis finis medicinæ non acquiritur.

II.

Medicos ſine methodo fortuitò agit, & umbram artis perſequitur.

III.

Sicut ars absque methodo non diſcitur, ita particulares morbi ſine exercitatione non cognoſcuntur: methodus & exercitatio duo medici crura.

IV.

Indicationes curandi ſex ſunt, an, & quid agendum, quantum, quomodo, ubi & quando.

V.

Scire ſitne agendum, vel non ſit, magnæ prudentiæ eſt, v. g. an in lethali morbo admovenda manus, ne ars & remedia infamentur.

VI.

Quantum agendum & quousque progrediendum, vires, ætas, regio, ſexus, anni tempus & conſuetudo docent.

VII.

Quando agendum ſit, morbi tempus indicat.

VIII.

Prudens Medicus & jucundè, citò & tutò curat.

IX.

Inſtrumenta generalia agèndi Medici tria ſunt, diæta ſeu victùs ratio, pharmacia & chirurgia.